

Clarae ad S. Cosmam et Damianum Urbis concessum. n. 5134 die 22. Julii 1848.

2) In Bened. apost. pro Moribundis.

Vd.: *Bened. cum Indulg. plen. pro Moribund.*

3) Mutatio.

Moniales, quando faciunt inter ipsas Confessiones, non debent alterare verba „vobis fratres“ in *Sorores* et „te Pater“ in „te Mater“; sed Confessionem fieri debere prout jacet in Breviario. n. 827 die 18. Aug. 1629; n. 2364 ad 5 die 13. Febr. 1666.

*Ad dubium:* Quum duo vel plures Officium Divinum privatim recitant, debentne ad Confiteor omittere verba illa: *vobis fratres, et vos fratres: misereatur tui, et misereatur vestri,* sicut quando unus tantum illud recitat? S. C. resp.: „Possunt et non debent“. n. 4669 ad 42 die 12. Novb. 1831.

4) In Ordinatione.

*Ad dubium:* Diaconi et Subdiaconi in sacra Ordinatione quando dicere debent *Confiteor*, ante, vel postquam communicati sunt Presbyteri? S. C. resp.: Post Communionem Presbyterorum. n. 4669 ad 9 die 12. Novb. 1831.

CONFRATERNITAS.

1) Administratio honorum.

Confraternitates possunt propria bona administrare ac de illis disponere absque ulla dependentia a Parocho. n. 3670 ad 31 die 12. Jan. 1704.

2) Associat. funerum.

Vd.: *Processio funebr.; Sepultura.*

Confraternitates non posse impediri, quominus non associant Mortuorum

cadavera ad sepeliendum. n. 832 die 18. Aug. 1629.

Confratres Rosarii Gallipollitanae ab Ordinario impediri non possunt, quominus vocati ad associanda corpora defunctorum accedant, quotiescumque non vocatur Capitulum Cathedr. n. 859 die 8. Junii 1630.

Confraternitates laicorum in actu associationis cadaveris nullo modo posse erigere Crucem propriam. n. 936 ad 2 die 22. Novb. 1631; n. 2910 ad 1 et 2 die 27. Jan. 1680.

Confraternitati Senogall. sub Invocatione ss. Conceptionis B. V. M. non licere associare cadavera sine licentia et interventu Parochi et propriam erigere crucem contra formam decretorum. n. 2293 die 30. Aug. 1664.

*Ad dubium:* An Parochi Monopolitanae Confratres SS. Sacramenti prohibere possint haeredibus defunctorum, ne ipsos invitent ad associanda cadavera, quae in parochialibus deferuntur? S. C. resp.: Non posse prohiberi. n. 2639 die 17. Junii 1673.

Rectores sive Sacristae, qui cum suis *Confraternitatibus* ad funus vocalis incedunt, post absolutum a parocho Officium funeris in sua Ecclesia parochiali, in qua cadaver delatum sepeliendum est, possunt super dicto cadavere iterum funebre Officium peragere sine cruce et stola. n. 2910 ad 4 die 27. Jan. 1680.

*Ad dubium:* An Confraternitates possint accedere ad funeralia *non vocati*; et si fuerint vocati in actu associationis, an possint erigere crucem? S. C. resp.: *Negative quoad omnia.* n. 2912 ad 9 die 24. Febr. 1680.

Licet confratribus associare cadavera Confratrum et Sororum ad Ecclesiam et Oratorium cum interventu parochi. n. 3832 ad 12 die 22. Novb. 1710.

3) Congregatio.

Confraternitates, sive sint erectae in Ecclesia parochiali sive extra illam, possunt pro libitu et juxta unius cujusque peculiaria Statuta Congregationes facere absque interventu et licentia parochi, dummodo non impediant functiones et divina Officia. n. 3670 ad 30 die 12. Jan. 1704.

Quando Parochus eisdem Congregationibus interest de mandato Ordinarii et tamquam ejus delegatus, non potest Suffragium decisivum ferre neque Suffragium duplex. *Ibid. ad 32 et 33.*

4) Erectio et confirmatio.

Vd.: *Cappellanus* (Confratern.).

Nemini licere inconsulto Episcopo in sua Dioecesi erigere et creare de novo Confraternitates et eorum Statuta confirmare, quae omnia privative quoad alios pertinent ad Episcopum tantum. n. 548 die 7. Oct. 1617.

Duas Confraternitates in *eodem loco sub eadem invocatione* erigi non posse, et . . . ideo ubique locorum id esse prohibendum. n. 1362 die 7. Decemb. 1641.

Neque etiam in alio loco ultra horam ab ecclesia, in qua aliqua confraternitas ejusdem nominis et instituti erecta manet, erigi potest. Bene vero in eadem ecclesia plures Confraternitates sub diversis tamen titulis institui possunt, e. g. de Rosario et de b. Corde Mariae, Confraternitates vero de SS. Sacramento et de doctrina christiana in qualibet ecclesia *parochiali* erigi licet. S. C. J. 7. Febr. 1607. Dec. Rot. Rom. 18. Jan. 1745.

Non obstare Bullam Clementis VII. quoad erectionem plurium Confraternitatum, quae sint diversi instituti vel Invocationis. n. 1950 die 7. Decemb. 1658.

*Ad dubium:* An liceat sub eodem

tecto stare duas Confraternitates ejusdem Instituti habentes eadem signa et peragentes eadem exercitia? S. C. resp.: Servetur Constitutio fel. rec. Clementis VIII. n. 2803 die 14. Novb. 1676.

Postquam Vicarius Generalis Dioecesis Montis Albani exposuit huic S. Sedi Apostolicae in Ecclesia Parochiali S. Jacobi Ap. Civitatis Montis Albani canonice erectam reperiri Confraternitatem Sacratissimi Cordis Jesu et Mariae (quae tamen vulgo sub priori tantum titulo Sacratissimi Cordis Jesu cognoscitur) prorsus distinctam ab Archiconfraternitate Romana sub eodem titulo Sacratissimi Cordis Jesu: siquidem haec Confraternitas Montis Albani duplicem habet scopum, spiritualement scilicet sodalium utilitatem et in necessitatibus temporalibus ope menstruae retributionis assistentiam, ab hac S. R. C. humillime postulavit ut declarare dignaretur: utrum in Civitate Montis Albani, vel in eadem Parochiali Ecclesia institui possit alia Confraternitas Sacratissimi Cordis Jesu Romanae Archiconfraternitati vel Confraternitati Molinensi in Gallia aggreganda, ac prorsus distincta ac diversa a Confraternitate, de qua supra, in Parochiali Ecclesia S. Jacobi erecta? Quae singula quum subscriptus Secretarius ejusdem S. R. C. retulerit in Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum habito, Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis rescribere rati sunt: „Quum juxta exposita una Confraternitas ab altera differat non tantum nomine sed etiam scopo, simultaneae utriusque confraternitatis existentiae in eadem Civitate minime officere censenda est Constitutio s. m. Clementis Papae VIII., quae inipit: Quaecumque. Atque ita S. R. C. rescripsit. n. 5226 die 29. Nov. 1856.

## URBIS ET ORBIS.

## Decretum

*Super institutionibus seu erectionibus et aggregationibus Confraternitatum ab Ordinibus Regularibus, Religionibus, Institutis, Archiconfratribus et Congregationibus faciendis.*

Ex Audientia SSmi. die 8. Jan. 1861.

Ad Religionis et pietatis incrementum ac mutuam charitatem inflammandam Apostolica Sedes pluribus sive Ordinibus Regularibus Religionibus et Institutis sive etiam Christi fidelium Saecularium Archiconfraternitatibus et Congregationibus potestatem fecit alias Confraternitates et Congregationes erigendi et instituendi nec non etiam aggregandi ac Indulgentias, Privilegia, aliasque spirituales gratias sibi concessas communicandi.

Cum autem nulla certa forma vel ratio praescripta fuisset, quae in huiusmodi institutionibus et erectionibus vel aggregationibus et communicationibus faciendis servari deberet, Clemens VIII. fel. rec. Constitutione, quae incipit: *Quaecumque a Sede Apostolica*, data sub die 7. Dec. 1604, modum praecipit servandum in his peragendis formulam quoque praescribendo, atque inter alia statuit, Indulgentias, Privilegia etc. tantummodo communicari posse, quae nominalim et expresse Societati aggreganti concessa sunt, non tamen ea, quae per extensionem vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt, et quidem communicari non sub generali verborum forma vel ad instar sed expresse et in specie atque per dictam formulam ab ipso Pontifice approbatam, quae quidem omnia in eadem Constitutione reperiuntur praecipua sub nullitatis poena, ut clarius patet ex laudata Constitutione.

Compertum tamen est progressu

temporis non ab omnibus adhibitam fuisse hanc formulam neque Privilegia neque Indulgentias adamussim communicatas, quemadmodum Pontifex praeciperat.

Cum insuper statutum fuisset in eadem Constitutione, ut institutiones et aggregationes gratis omnino fierent, et tantummodo per Decretum Congregationis Cardinalium sub Paulo V. Indulgentiarum moderationi praepositae latum die 6. Mart. 1608 titulo expensarum permissum fuisset Instituentibus vel Aggregantibus scutum unum aureum recipere et quidem sub poena, inter caetera, nullitatis, prout clarius innotescit ex eodem Decreto, attamen cognitum similiter est neque dispositionem hanc ab omnibus servatam fuisse. Ad dubitationem itaque omnem tollendam super validitate horum institutionum seu aggregationum Sanctitas Sua benigne sanavit institutiones et aggregationes hucusque factas, in quibus aliquid ex praedictis desideretur, quod perficiendum erat per Constitutionem enunciatam aut Decretum superius expressum, vel contra in iisdem praescripta peractum sit, simulque mandavit, ut in posterum formula in huiusmodi erectionibus seu institutionibus seu aggregationibus adhibenda concordet saltem in substantialibus cum illa praescripta a Clemente VIII., cujus Constitutionis ad minus praecipua Capita in eadem formula inserantur cum variationibus ab eadem Sanctitate Sua approbatis, cuius quidem formulae exemplar iis praesertim, quorum interest, communicandum in Actis S. Congregationis servari praecipit et ut Societati aggregatae ab Ordine, Instituto, seu Archiconfraternitate aggregante tradi possit separatim et distincte a formula ac etiam typis impressus Elenchus Indulgentiarum et Privilegiorum ab Ordinario tamen loci recognitus; cuius im-

pressio in hunc tantum finem permittitur, etiamsi Indulgentiarum concessionibus sint depromptae ex pluribus Brevibus etc., non obstante decreto S. C. Indicis, et altero Decreto S. C. Indulgentiarum explicante et moderante praedictum Decretum Indicis diei 22. Jan. 1858.

Atque hoc Decretum absque ulla Brevis expeditione publicari jussit derogando cuicumque Apostolicae dispositioni in contrarium etiam specialis memoriae dignae.

Datum Romae ex Secretario S. C. Indulgentiarum et S. Reliquiarum.

F. Card. Asquinius Praefectus.

A. Colombo Secretarius.

*Formula servanda saltem in substantialibus\*) a Superioribus Regularibus Religionum etc. in erigendis seu instituendis Confraternitatibus ac communicandis Indulgentiis et gratiis spiritualibus quas a Sede Apostolica obtinuerunt.*

N. N. ORDINIS N. GENERALIS.\*\*)

Religio nostra cum inter alia privilegia, quibus a Sede Apostolica decorata est, facultatem habeat saecularium Confraternitates sub invocatione N. erigendi, etisque spirituales gratias privilegia et Indulgentias communicandi, in huiusmodi Confraternitatibus instituendis, si ad Christifidelium salutem promovendam expedire animadvertit, liberalem se praebere consuevit. Nos igitur, qui generalem totius

\*) Dicitur in substantialibus quatenus non sit vetitum addere vel immutare aliqua in eadem, qua substantiam non afficiant. Integrum etiam erit unicuique Ordini Religioni, Instituto sive originem sive naturam sive praestantiam proprii Ordinis indicare et alia quae solent in huiusmodi Litteris apponi.

\*\*) Hic exprimitur persona vel qui auctoritate pollet juxta facultates et privilegia uniuscujusque Ordinis.

Ordinis nostri curam gerimus, sperantes fore ut ex hac spiritualium gratiarum participatione Christifideles ad devotionem et pietatem magis excitentur, auctoritate Nobis a Summis Pontificibus concessa Confraternitatem N. in Ecclesia N. Loci N. Dioecesi N. de consensu loci Ordinarii, qui ejusdem Confraternitatis institutum pietatem ac religionem Literis patentibus nobis nuper exhibitis commendavit, dummodo talis alia similis in ipso vel alio ad tria millia propinquo loco hactenus erecta non fuerit, per praesentes nostras Litteras erigimus et instituimus illisque et pro tempore existentibus utriusque Sexus Confratribus elargimur et communicamus Indulgentias, privilegia et speciales gratias singillatim descriptas in Elencho, quem rite per Ordinarium loci recognitum una cum his Litteris tradimus diligenter asservandum\*). Quibus omnibus Indulgentiis et spiritualibus gratiis descriptis Confraternitatem ipsam nunc erectam ejusque Confratres potiri et gaudere posse decernimus juxta ea, quae fel. mem. Clemens Papa VIII. in Constitutione, quae incipit: *Quaecun-*

\*) Potest etiam inseri si lubet Elenchus, in utroque tamen casu Elenchus jam ab Ordinario loci recognitus continere debet distincte et expresse non sub generalibus verbis Indulgentias, gratias etc., quibus Societas aggregans fruatur directe, non quibus per Communicationem et extensionem gaudet.

Ad tollendam tamen omnem dubitationem: dum per Ordinarium loci dicitur recognosci debere Elenchum, intelligitur ut semel ab Ordinario loci, ubi Auctoritas praecipua Ordinis Instituti Religionis etc., quae habet facultatem erigendi etc., moratur, recognitus fuerit Elenchus, non indigeat nova recognitione et tradi possit Societati erigendae etc., etiam alibi cum necessarium sit ut semper idem sit Elenchus, salvis additionibus, quae ex novis concessionibus pariter recognoscendis fieri contingat.

que data sub 7. Dec. 1604. praescripta et variationes a SSmo. D. N. Pio IX. approbatas, ut ex Decreto S. Cong. Indulgentiarum diei 8. Jan. 1861, et cujus Constitutionis praecipua Capita cum dictis variationibus subnectuntur\*) scilicet: 1. quod unica tantum Confraternitas ejusdem Instituti et generis institui et aggregari possit in Ecclesiis tam Saecularium quam Regularium; 2. quod id fiat de Consensu Ordinarii et cum Litteris testimonialibus ejusdem; 3. quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur Privilegia et Indulgentiae Ordini instituenti vel aggreganti nominatim concessa, non vero ea, quibus per privilegium communicationis gaudet; 4. quod Statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint; 5. quod gratiae et Indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur; 6. quod Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget juxta formam per Ordinarium praescribendam; 7. quod Litterae erectionis et aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam a sponte dantibus sub praetextu quoque merae eleemosynae acceptae expediri et concedi possint, et solummodo titulo expensarum pro pergama, scriptura vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, cordulis, cera, Secretarii Notarii que labore vel mercede aliisque omnibus eam quantitatem, quae non excedat summam scutorum sex monetarum romanae in Italia, et extra non excedat summam libellarum, vulgo

\*) Si lubet, inseri etiam potest integra Constitutio addendo in fine variationes a SS. D. N. approbatas. Caeterum vel integra Constitutio vel saltem indicata hic capita quae substantiam continent cum variationibus praedictis omnino inserenda est.

francs triginta pro singula institutione vel aggregatione vel confirmatione recipere liceat; 8. quod singula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregationes et communicationes Privilegiorum et Indulgentiarum nullius sint roboris et momenti, et quilibet Superiorum atque Officialium privationis Officiorum, quae obtinent atque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso incurrant, quae ab alio quam a Romano Pontifice remitti non possit.

In quorum testimonium has litteras fieri et per Nostrum Secretarium subscribi et publicari mandavimus sigilloque officii nostri muniti. Datum etc.

*Formula servanda in substantialibus\*) ab Archiconfraternitatibus et Congregationibus pro aggregatione Confraternitatum et Congregationum.*

Dilectis Nobis in Christo Confratribus Societatis N. in Ecclesia N. Auctoritate N. canonice erectae Salutem in Domino sempiternam.

Nos qui juxta Officii Nostri debitum Fidelium salutem, pietatisque ac Religionis progressum procurare debemus libenter nostrae Archiconfraternitati alias ejusdem Instituti Confraternitates adjungimus et aggregamus, illisque sic aggregatis Indulgentias, facultates et Indulta juxta facultatem nobis a Summis Pontificibus concessam impartimur. Qua de re cum D. N. ejusdem Confraternitatis Procurator aggregationem hujusmodi et Indulgentiarum communicationem enixe postulaverit, Nos Protector, Prior et Custodes praedicti ipsam Archiconfrater-

\*) Dicitur in substantialibus quatenus non sit vetitum addere vel immutare aliqua in eadem quae substantiam non officiant. Addendo etiam si lubet quae respiciunt originem, praestantiam etc. Societatis aggregantis.

nitatem representantes Constitutioni inhaerentes fel. rec. Clementis VIII. incipienti:

Quaecumque die 7. Dec. 1604 super hujusmodi aggregationibus et Coelestis Ecclesiae Thesauri communicatione editae una cum variationibus approbatis a S. D. N. Pio P. IX. per Decretum S. C. Indulgentiarum diei 8. Jan. 1861 his nostris Litteris solo Dei amore ac pietatis Religionisque Christianae augendae zelo ducti Confraternitatem praedictam canonice ut superior erectam attentis Episcopi seu Ordinarii loci consensu ac Litteris Testimonialibus, quibus ejus institutum, pietas ac religio commendatur, nostrae Archiconfraternitati (dummodo per nos similis gratia prius alteri in dicto loco N. concessa et tempore hujusmodi concessionis alteri Archiconfraternitati aggregata non fuerit) juxta facultatem Apostolicam nobis concessam adjungimus et aggregamus atque illi ejusque Confratribus Indulgentias, et spirituales gratias nostrae Archiconfraternitati Litteris Pontificiis nominatim expresse et praecise concessas largimur et communicamus juxta tenorem descriptionis contentae in Elencho, quem rite recognitum per Ordinarium loci una cum his litteris separatim tradimus\*).

Quibus omnibus Indulgentiis et gratiis spiritualibus inibi singillatim descriptis praedicta Confraternitas uti, potiri et gaudere possit juxta ea quae s. m. Clemens VIII. in supracitata Constitutione praescripsit et variationes a S. D. N. Pio P. IX. approbatas, cu-

\*) Potest etiam inseri si lubet Elenchus; in utroque tamen casu Elenchus debet ab Ordinario loci, ubi Archiconfraternitas existit, recognosci, et continere debet distincte et expresse non sub generalibus verbis Indulgentias, gratias etc., quibus Societas aggregans fruitur directe, non quibus per communicationem et extensionem gaudet.

jus quidem Constitutionis quoad substantiam tenor una cum dictis variationibus ita se habet\*), scilicet: 1. quod unica tantum Confraternitas ejusdem instituti et generis institui et aggregari possit in Ecclesiis tam Saecularium quam Regularium; 2. quod id fiat de consensu Ordinarii et cum Litteris Testimonialibus ejusdem; 3. quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur Privilegia et Indulgentiae Archiconfraternitati instituenti vel aggreganti nominatim concessae, non vero ea, quibus per privilegium communicationis gaudet; 4. quod Statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint; 5. quod gratiae et Indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur; 6. quod Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget juxta formam per Ordinarium praescribendam; 7. quod Litterae erectionis et aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam a sponte dantibus sub praetextu quoque merae eleemosynae acceptae expediri et concedi possint et solummodo titulo expensarum pro pergama, scriptura vel impressionis stipendio sigillorum, expensis cordulis, cera, Secretarii Notarii que labore vel mercede aliisque omnibus eam quantitatem, quae non excedat summam scutorum sex monetarum Romanae in Italia, et extra Italiam non excedat summam libellarum vulgo francs triginta pro singula aggregatione vel institutione sive confirmatione, recipere liceat; 8. quod sin-

\*) Si lubet inseri etiam potest integra Constitutio addendo in fine Variationes a SS. D. N. approbatas. Caeterum vel integra Constitutio vel saltem indicata hic capita, quae substantiam continent, cum variationibus praedictis omnino inserenda est.